

hac autem ratione colligere possumus, quando privilegium est ad instantiam petentis, multum referre an fuerit ad instantiam ejusdem in cuius gratiam concessum est, vel alterius. Nam in priori casu ipse privilegiarius est propria causa sui privilegii, et quodammodo voluntate sua jus illud statuit, active ad illud operando; in altero autem casu magis se habet passive, et ideo minus illi imputatur, ideoque non ita facile debet in illum retorqueri, vel minus debet cogi ad utendum tali privilegio, quando illud minus sibi utile esse experitur. Multum etiam interest considerare personam petentis privilegium, ut, an sit privata persona, vel communitas, et similia: nam inde multum sæpe pendet qualitas et modus privilegii, ut sensit Bald. in c. 1 de His qui feud. dar. pos., § *Marchio*, n. 4.

11. *Privilegium per surreptionem impetratum ad puram instantiam petentis non valere, secus si motu proprio concedatur.* — Ultima differentia, et nobis magis utilis, est, quod privilegium per surreptionem impetratum ad puram instantiam petentis non valet; secus vero esse censetur si motu proprio concedatur. Prior pars communis est, sumiturque ex cap. 2 de Rescript., ubi dicitur in hujusmodi rescriptis, vel poni, vel subintelligi semper clausulam, *Si preces veritate nitantur*, ubi Panorm. advertit hoc habere locum etiam in privilegiis quæ ad instantiam petentis conceduntur, et in c. *Super litteris*, eodem, docet quomodo surreptio in obtinendis privilegiis, tam per falsitatis expressionem quam per veritatis taciturnitatem, sit contraria valori et substantiæ privilegii, quæ est communis doctrina, et ex illo textu colligitur. Maxime vero habet locum in privilegiis quæ ad aliquorum preces impetrantur, de quibus eadem fere ratio est quæ de dispensationibus, de quibus supra diximus.

12. Altera vero pars, quod nimirum hæc regula non procedat in privilegio motu proprio, videtur ex eo sumi, quod clausula motus proprii tollit surreptionem, ut est communis doctrina, quam tradunt Panorm., c. *Ad aures*, de Rescript., n. 5, et c. *Dilectus*, de Præbend., n. 9; Felin., in c. *Cæterum*, de Rescript., n. 9, et in c. *Ad aures*, n. 6 et sequentibus; et Rebuf., Staphi., et Ant. Gab. supra, qui plures alios referunt. Qui omnes allegant dictum c. *Si motu proprio*, de Præbend., in 6; et Clement. *Si Romanus*, de Præbend. Contrarium vero sentit Deci. in c. 2 de Rescript., n. 5. Dicit enim, licet concessio fiat

motu proprio, subintelligi clausulam *Si preces veritate nitantur*, et inde consequitur non excludi surreptionem. Et allegat Cardin., cons. 90. Alii vero distinguunt de surreptione per veritatis taciturnitatem, vel per falsitatis expressionem, et de priori fatentur tolli per clausulam *motu proprio*, ut probant prædicta jura; de posteriori autem negant, etiamsi concessio fiat motu proprio; nam dicta jura in tali casu non loquuntur. Ita sentit Cardin., cons. 98, ut refert et sequitur Felin., d. cap. *Ad aures*, n. 6, cum Panorm., in c. *Quia circa*, de Consang. et affinit.; et idem tenet Rosel., verb. *Rescriptum*, n. 9; Tabien., q. 5, n. 4; Armil., n. 4. Ratio autem assignatur, quia falsitas causat errorem in mente principis, et consequenter addit gratiam involuntariam. Motus autem proprius non potest supplere defectum consensus seu voluntatis, quia, eo ipso quod deest voluntas, deest in re ipsa motus proprius, etiamsi verbis propter ignorantiam proferatur. Quæ ratio non habet locum in taciturnitate veritatis, quia tunc non constat de informatione principis qualis fuerit, et ideo non potest dici gratia contra mentem aut voluntatem principis, ideoque simpliciter creditur verbis ejus.

13. *Objectio.* — Sed objici potest, quia in concessione ex motu proprio princeps non movetur ex petitione alterius, imo ita id facit sua voluntate, ut non minus esset facturus, etiamsi nulla petitio præcessisset; ergo etiamsi falsitas præcesserit, est impertinens, nec ex illa colligi potest defectus voluntatis in concedente. Respondet, quod licet preces, ut preces, non moveant principem operantem ex motu proprio, nihilominus movent, ut continent informationem, et proponunt causas vel rationes, vel qualitates, et materiam talis gratiæ, et ex hac parte per falsam informationem tollitur objectum proprium consensus, et ita causatur involuntarium. Sed contra: nam eodem modo distingui poterit in taciturnitate veritatis; nam si præcedant preces cum informatione non falsa, sed diminuta, licet non moveant ut preces, movebunt ut informatio et propositio objecti, in qua intercedit ignorantia negativa, quæ causat non voluntarium, si taciturnitas sit in re substantiali et quæ voluntatem principis longe aliter moveret; ergo intercedit eadem ratio. Accedit, quod si circumstantia sit levis, et quæ non mutaret animum principis, non solum purgatur per dictam clausulam quando per taciturnitatem peccatur, sed etiam quando per falsitatem, ut

fatetur supra Felin. cum Anchar., consil. 132; ergo nulla est differentia.

14. Pro responsione, adverte aliud esse quod clausula *motus proprii* excludat surreptionem, aliud quod faciat valere gratiam; nam potest operari primum sine secundo, ut notavit Gloss. in Clem. *Si Romanus*, de Præbend., verb. *Validam*, et ex illa Panorm. in c. *Causam quæ*, 2 de Testib., n. 4; et ibidem Felin., n. 7; et Card., cons. 37. Et ratio est, quia, licet tollatur surreptio, potest gratia esse nulla ex defectu consensus et intentionis principis, vel ob alios defectus, ut statim etiam dicemus. Auctores ergo citati primo loco solum dicunt dictam clausulam tollere surreptionem; alii vero de valore privilegii loquuntur, de quo alia est ratio.

15. Ad quod explicandum, notanda est distinctio concessionis motu proprio supra insinuata; nam quædam est sine ulla petitione vel informatione prævia ex parte petentis, alia vero esse potest conjuncta cum illa, licet non sit principaliter ex illa. Et ad utrumque membrum possunt prædictæ opiniones adaptari, et inde fortasse pendet earum intelligentia. Quando enim concessio pure fit motu proprio, id est, sine interventu petitionis aut informationis ex parte petentis, tunc, ex parte ejusdem petentis, nec taciturnitas veritatis, nec falsitas intervenire potest, quia ille nihil loquitur, nec ullo modo cooperatur, nisi acceptando gratiam. Potest tamen in ipsamet narratione quæ ex parte principis fieri solet, vel taceri veritas, vel falsa causa proponi, ut per se constat, et tunc recte procedit distinctio Felini. Quia, in tali motu proprio, etiamsi veritas taceatur de quacumque re vel circumstantia gravi, et quæ alias debet necessario exprimi quando gratia postulatur, nullum committitur vitium ex parte recipientis gratiæ, neque proprie potest taciturnitas illi imputari, quia neque ipse neque alius loco illius aliquid loquitur, nec principem informat. Supponitur ergo princeps alias sufficienter informatus, gratiam liberaliter concedere, et hoc modo dicitur *motus proprius*, omnem tollere taciturnitatem veritatis. Et de hujusmodi taciturnitate loquuntur aperte jura supra citata, non in actu signato (ut sic dicam) sed in actu exercito. Declarando, scilicet, quando beneficium motu proprio conceditur, non impedire valorem gratiæ, licet in rescripto mentio non fiat beneficii prius habiti, quia nimirum secundum beneficium non petitur ab habente aliud, sed recipitur tantum

a Papa motu proprio donante. Hanc vero partem limitant prædicti auctores, ut præcise intelligatur de vitio surreptionis, quod per taciturnitatem committeretur, si non esset posita clausula motus proprii; non vero de aliis defectibus, vel inhabilitatibus quæ sunt contra alia jura, nec etiam de præjudicio tertii, ut videre licet in citatis auctoribus, et breviter ac dilucide complectitur Gigas de Pension., q. 9, num. 4 et 5, et quæst. 29, num. 4 et 5; Sancius, l. 8 de Matr., disp. 21, q. 3.

16. *Deceptio, undecumque veniat, causat involuntarium.* — At vero si non solum taceatur veritas, sed etiam falsa causa in rescripto seu privilegio exprimitur, tunc, etiamsi privilegium nullo modo sit petitum, sed acceptum, potest esse concessio nulla ex defectu voluntatis concedentis, quem defectum ignorantia seu error causavit: supponimus enim talem esse falsitatem, ut inducat in animum principis eam voluntatem, quam non esset habiturus, sublato errore. Unde non refert quod falsitas illa non provenit a postulante seu recipiente gratiam, quia deceptio ipsa, undecumque proveniat, causat involuntarium. Et ita procedit optime ratio data, quod taciturnitas veritatis non ostendit defectum voluntatis in pontifice, sicut ostendit error ignorantiae, et ideo non est eadem utriusque ratio. Nec auctores primæ sententiæ, ut existimo, in hoc contradicunt, quia, licet negent illam esse propriam surreptionem, quia illud vitium non committitur ex parte petentis seu recipientis gratiam, fatentur nihilominus impedire gratiam, quatenus impedit intentionem concedentis, et hoc modo aiunt motum proprium non firmare gratiam contra intentionem concedentis, ut communiter tradunt juristæ allegati, et alii quos late refert Anton. Gabr., supra, numero 20 et sequentibus; et Menoch., de Arbitr., lib. 2, centur. 3, casu 20, num. 80; Rebuffus et Staphil., supra.

17. Si autem talis sit concessio ex motu proprio, ut habeat nihilominus adjunctam præviam petitionem seu informationem ex parte desiderantis privilegium, tunc si falsitas intercedat, et est eadem ratio nullitatis, et est aliqualis subreptio, quia intervenit deceptio activa (ut sic dicam). Et hoc solum intendit Decius. Quod semper intelligendum est quando deceptio fit in principali causa, seu motivo, sine quo Pontifex privilegium non concederet, quia tunc solum deest voluntas et intentio in concedente, qui defectus non sup-

plentur per clausulam motus proprii, ut est communis doctrina. Videtur autem mihi idem esse cum proportione dicendum de taciturnitate veritatis, quando talis concessio, etiam motu proprio facta, supponit postulationem aliquam et informationem impetrantis, quæ movet animum principis per modum informationis, licet non moveat per modum petitionis: tunc enim si informatio ita est diminuta in expressione veritatis, ut propterea moveat, et inducat voluntatem principis, quam non induceret si exprimeretur integra veritas, redditur concessio nulla, non tam ob subreptionem quam ob defectum consensus. Quod mihi videtur sensisse Pan. in dicto c. *Quia circa*, de Consang. et affin., dicens: *Si talis est gratia, qua tacita, vel expressa, vel non existente, Papa gratiam non concessisset, tunc vitatur.* Et idem sentiunt Glossa et Joan. Andr. ibi allegati ab ipso, nec dissentiunt alii supra citati. Idemque sumitur ex eodem Panorm. in capit. *Ad aures*, de Reser., n. 5, ubi dicit, si quis impetret beneficium non explicata ejus qualitate, non valere gratiam, etiamsi motu proprio fiat, non propter subreptionem (ait), sed quia non apparet de voluntate Principis. Quæ ratio universalis est ad omnia similia, scilicet, quia motus proprius non firmat gratiam contra intentionem concedentis. Accedit quod illa taciturnitas est quædam virtualis deceptio, quandoquidem ratione illius res non concipitur sicut est, et ratio, quæ movet, in re ipsa non subsistit sicut proponitur.

## CAPUT XIII.

QUÆ SIT SUBSTANTIALIS FORMA PRIVILEGII, SIVE ABSOLUTE, SIVE SUB CONDITIONE AUT MODO CONCEDATUR.

1. *De duplici modo quo solet concedi privilegium sine et cum conditione.* — Secunda pars privilegii supra posita, est illa quæ concessionem ipsam formaliter continet, et ideo maxime videtur (ut dicebam) ad substantiam formæ pertinere. Ad illam vero explicandam, oportet advertere duobus modis solere concedi. Primo, absolute et pure, nullam conditionem vel actionem exigendo a privilegiario, ut effectum privilegii consequatur. Sic conceditur filio illegitimo privilegium legitimationis, vel plebeio privilegium nobilis, vel peregrino privilegium civis, et similia, quæ princeps concedit, nihil exigens vel requirens ad utendum postea

privilegio. Alio modo datur privilegium sub conditione aliqua, aut modo necessario ad fructum privilegii consequendum, sicut solent concedi indulgentiæ hoc vel illud opus facienti, vel sicut solet concedi facultas absolvendi vel dispensandi imposita tali poenitentia, vel examinata causa, aut petito consilio vel consensu alicujus, et similibus. Et ita ex usu ipso satis constat utramque formam in privilegiis concedendis observari. Et ratio est, quia uterque modus est possibilis, ut per se notum videtur, et pendet ex voluntate concedentis, et juxta materiæ qualitatem interdum unus expedit, interdum alius. Circa priorem ergo modum nihil specialiter adnotandum occurrit, quia in illo nulla forma præscribitur privilegiario ad utendum privilegio, sed princeps ipse per verba sua, quæ sunt quasi forma privilegii, efficit effectum privilegii, eo modo quo moraliter facere illum potest, talem favorem concedendo, aut auferendo talem inhabilitatem, vel quid simile. Unde, supposita veritate narrationis et justitia causæ, absque ulla surreptione aut deceptione, ex parte formæ tantum est necessaria sufficiens significatio voluntatis concedentis, ut in principio explicuimus.

2. *Notanda circa privilegium concessum conditionaliter.* — Circa alium vero modum concedendi privilegium sub certa aliqua conditione aut modo, nonnulla breviter animadvertenda sunt. Primum est, attente considerandum esse an per illa verba quibus præscribitur modus utendi privilegio, constituatur veluti substantialis forma utendi privilegio, vel solum addatur solemnitas accidentalis, seu onus concomitans fructum privilegii. Nam si forma sit prioris modi, illa non servata non obtinebitur fructus privilegii; si autem sit posterioris generis, violatio ejus non impedit effectum privilegii, poterit tamen esse peccaminosa et sufficiens causa ut quis privetur privilegio quod alias posset durare et in futurum proficere. Utraque pars declaranda est et probanda juxta dicta, in libro 5, de legibus irritantibus actiones in quibus præscripta forma non servatur. Ratio enim quæ in contractibus, testamentis, judiciis, et in quibuscumque mandatis reperitur, in privilegiis etiam militat: nam ita pendent ex voluntate concedentis, sicut mandatum, verbi gratia, ex voluntate mandantis; ergo, sicut forma mandati non servata, si substantialis sit, nihil efficitur, quia deest voluntas mandantis; si vero sit accidentalis, actio facta tenet, licet forte revo-

cari vel puniri possit; ita prorsus dicendum est de privilegio, quia etiam deest voluntas concedentis, si formam præscripsit substantialem, et illa non servatur, quod secus est, quando forma est accidentalis.

3. *Duo consideranda ad cognoscendum an forma privilegii sit substantialis.* — Ad cognoscendum autem an forma sit substantialis necne, servandæ sunt regulæ eodem loco positæ et cum proportione applicandæ. Duo vero præcipue consideranda sunt. Unum est, an onus impositum ad consequendum fructum privilegii sit conditio proprie sumpta, an vero sit tantum modus. Nam si sit conditio, clarum est, voluntatem principis nihil operari, quia solum habuit voluntatem conditionatam, quæ nihil operatur, imo nulla est, non impleta conditione: unde fit ut talis conditio pro forma substantiali ponatur, sine qua res esse non potest, l. *Qui hæredem*, § ult., ff. de Condit. et demonst. Secus vero est quando non est propria conditio, sed modus, quia tunc non est conditionalis voluntas concedentis, sed absoluta, et ita suum effectum operatur statim, licet imponat tale onus vel obligationem in futurum, sicut in testamentis ac legatis commune est, nam est eadem ratio in privilegiis. Unde, ad intelligendum an id quod exigitur sit conditio vel modus, verba consideranda sunt, sicut etiam in testamentis et aliis similibus fieri solet.

4. Præcipue vero est, secundo loco, observandum an opus requisitum in privilegio propter fructum ejus, postuletur ante effectum privilegii, vel post. Nam si priori modo petatur, regulariter pertinebit ad substantialem formam servandam, et est rigorosa conditio, nisi oppositum constet expresse ex verbis privilegii: si vero opus possit sufficienter fieri post usum et fructum privilegii comparatum, non est conditio, sed modus, et pertinet ad solemnitatem vel circumstantiam accidentalem, regulariter etiam loquendo, et nisi verba manifeste obstant. Declaratur exemplo Jubilæi, per quod et privilegium obtinendi absolutionem a reservatis, et indulgentia plenaria post jejunia, orationes, et alias diligentias factas, conceditur: nam quia hæc opera non petuntur ut necessaria ante absolutionem a reservatis, non sunt conditiones necessariæ ad fructum illius privilegii quoad hunc actum ejus, nec pertinent ad substantialem formam servandam ex parte poenitentis ad illum effectum consequendum, et ideo simpliciter est valida talis absolutio, et rata manet, etiamsi alia

opera non sequantur, ut in materia de Indulgent. et in tractat. de Voto, dixi; respectu vero indulgentiæ, petuntur illa opera ut dispositiones præviæ, et ideo conditionem necessariam continent, et formam substantialem constituunt ad indulgentiam consequendam. Quod fere in omnibus indulgentiis observatur. Eademque doctrina applicanda est ad indulta dispensationum, absolutionum, et similibus gratiarum, in quibus dicitur, verbi gratia, ut poenitentia injuncta detur dispensatio, vel absolutio, tunc enim impositio poenitentiae antecedere debet, unde est conditio necessaria, et de substantia formæ; executio autem poenitentiae est consequens fructum privilegii, et ideo, licet postea omittatur, non evacuatur effectus, erit tamen grave peccatum, et non evitabitur, donec onus impositum impleatur, si potestas non desit. Huc etiam spectat conditio frequens, quæ in his indultis absolutionum ponitur, ut fiant, satisfacta parte, nam ex vi verborum de præterito, oportet ut conditio prius servetur, alias nihil fiet: an vero interdum sufficiat propositum vel cautio, quando necessitas urget, ex verbis indulti et conjecturata mente concedentis definiendum est.

5. *Standum est proprietati verborum, et non plus exigendum.* — Unde ultimo maxime oportet expendere verba per quæ onus imponitur; nam standum est proprietati illorum, et non plus exigendum quam per verba in rigorosa ac propria significatione, postuletur. Ut, verbi gratia, si datur alicui facultas faciendi aliquid, ut dispensandi, absolvendi, vel puniendi cum consilio alicujus, tunc petitio quidem consilii ad subsistentiam formæ pertinet, quia consilium natura sua est conditio antecedens actum, ut colligitur ex c. *Cum in veteri*, de election., ubi id notant Gloss., Inn. et Panorm., in fine. Idem Panorm., in c. *Ex parte*, de Const. n. 5, et in cap. *Cum olim*, de Arbit., cum Glossa et Host. ibid., sicut etiam de licentia idem dicit per textum ibi in c. *Licet*, de Reg. n. 11. Sic igitur petitio consilii ad formam substantialem pertinet. Non est tamen necessarium sequi consilium, quia hoc per illa verba non exigitur. Quod patet, quia in rigore aliud est postulare consilium, aliud sequi: nam petere consilium per se est utile ad inquirendam et inveniendam veritatem, quia collatio plurium judiciorum multum confert ad veritatem inveniendam, ut sumitur ex leg. *Si aviam*, c. de Ingen. manumiss., et l. *Dubium*, c. de Repudiis. At vero ob eandem